



Disputatio medica inauguralis de vipera

<https://hdl.handle.net/1874/343273>

28.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S ,
D E

VIPERA.

Q U A M ,
A U S P I C E D E O O P T . M A X .

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII,

Politices , Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu , Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto ,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite & legitime consequendis ,
Publico examini subicit

JOHANNES L. LINDELIUS, Junecop. Suec.

K Å R E A N . Alumn.

Ad Diem 1. Septemb. horis locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi , clo Ic xc.

DISPUTATIO MEDICA
IN SCULPTA
AD

АЯПН

AUSPICE DEO OPTIMA
LOVNISS GEORGII GRAEVI

Полицес, Илоденуса Г. Григориана Потоцкого
Из Ординарии
ИЗ СИНОДА
Из Адама Марка
Из Томаса Гарднера



TRAJECTI BY RHENIUM
Ex Officinis F. VAN GIESCI HALMA, Accedens
Thesauri, op. ex.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
V I P E R A.



Nter atrocissimos vitæ hominis insidi-
antes hostes, præsentaneam ei perni-
ciem, clademque funestam inferentes,
postpositis aliis, est Vipera, quæ suo
dente venenosissimo symptomata terri-
bilia & horribilia homini inducit. Hu-
jus nunc naturam & indolem paulo cu-
riosius indagaturi, & quid noxæ, quid
ve utilitatis ipsi insit, quanta fieri potest brevitate ostend-
suri, accurata vocis istius investigatione Philologis relitta,
Dissertationem hanc in quatuor dispartiemur capita. Quo-
rum I. aget de Viperæ structura. II. de ejus Veneno. III.
de ejus Morsu. IV. denique de ejus Usu in foro Medico.

C A P U T . I.

De Vipera structura.

S. I. **E**xaminatur Viperam sub cultro Anatomico, ordiemur a squa-
mis, quæ sunt in dorso oblongæ, unicolores, scilicet ex cæ-
ruleo fuscæ, & quo propius ad ventrem vergunt, eo rotundio-
res & magis cœruleæ, in ipso ventre itidem longæ, & instar armaturæ,
per transversum sectæ, nigris maculis hinc inde conspersæ, non usque
adeo duræ, sed perpolitæ, coruscæ ac rutilæ, magnitudine parva, tot
numero, quot sunt vertebræ, alteræ denique alteris insidentes. Mo-

derata durities earum, ac politura facit maxime ad lubricum celerrimumque ejus spiralem reptatum, in spinis & aliis asperis corporibus, ne sua affricatione cutem cuticulamque ejus erodant; duritie præfertim lævorem adjuvante; ad quem usum neque pili, neque pennæ erant idoneæ.

§. II. *Cuticula* sensilis haut invenitur, etenim squamarum infixarum abundantia eam adeo occultat, ut nudo oculo detegi nequeat.

§. III. *Cutis* vero satis notabilis apparet, membranosa consistens substantia, quam detractam mucago pinquis e porulis minutissimis hinc inde profecta, digitis pertinaciter adhærescens, valde lubricam reddit. Bis in anno exuitur, (sæpiissime semi-exutas vidi, & propriis manibus tractavi, amoenissimum sane & dignum visu spectaculum; etenim effugere, sed frustra conantur, ob exuvium senectum, sub quo cuticula pulchre nitens apparet;) scilicet vere & autumno; duplex enim naturalis causa accedit, ad indurandam & siccandam cuticulam, scilicet frigus hyemis, & siccitas aestatis. Vere quidem propter frigus hyemis, quod præcessit & induravit, & propter necessarium motum ac flexum, quem per totam æstatem sunt obiturae. Autumno vero, propter circumPLICATIONEM, in qua tota hyeme consistunt, quæque requirit totius corporis flexibilitatem, ut dum latibulis suis sunt circumscriptæ, partes illarum sece continant, sibique mutuo conjungantur.

§. IV. *Foramina* pellitantur sex deprehenduntur; maximum est *gula*, cætera sunt ambarum *narium*, & *oculorum*, postremum in imo *Venire* situm est, in se comprehendens non solum intestini *foramen*, evacuandis excrementis dicatum, sed & præterea ea, quæ ad *partes genitales* spectant, tam in maribus, quam fæminis, occluditurque squama ultima, quæ est maxima, in formam semicirculi prominens. *Auditus* nullum habet peculiare *foramen*, eique sensui natura nares destinavit.

§. V. *Caput* est oblongum & acuminatum, quadanterus exbasi latiore in angustiorem fornicem definens. Ejus extremitati in parte superiore externa inseruntur loco *narium* duo illa *foramina*, quæ oblique inter dentes superiores, inter ipsum os & *gulam*, intra palatum superius feruntur.

§. VI. *Dentium* ordo est duplex, tam in superiore, quam in inferiore *maxilla*; (multas tamen secui, simplici præditas, scilicet inferiore.) Præterea duos satis longos & curvatos habent *dentes caninos*, (quædam habent hosce dentes caninos duplicitos, & triplicitos:) articulari modo infixos, ut satis curiose in Sceletis earum videre est, carne glandulosâ obvolutos, & qual liquor limpidus & Flavus effluit, si comprimiratur. Qui venenaria

I N A U G U R A L I S. §

venenum acutissimum vel velocissimum, quod in morsu totam inficiat massam sanguineam, vulgo creditur, at, si accuratius examinetur, mera est *saliva* viperarum, e glandulis salivalibus & nervis exsudans; sed de his suo loco.

§. VII. Lingua interdum bifida, interdum (sed raro) trifida observatur, teres, Pharyngi sub Tracheam adhaerens, substantia molli constans, nigra membrana obvoluta, extreme subtilis, & volubilis; fulcitur & regitur osse hyoide, quod ex asperæ arteriæ lateribus, duobus cornibus spinosis & basi accuta suffulcitur. *Cuspides* linguae tenuissimæ sunt, & quamquam celerrime eas vibret, nequaquam illæ pungunt, (ut vulgus sibi persuasum habet) nec nocent ulli, ignaris tamen terorem incutere valent.

§. VIII. In Cerebro præter duram matrem, colore nigram, medullarem & corticalem substantiam, nervos opticos & odoratorios, nil distincti observatur; sed cætera tam subtilis consistentiæ sunt, ut facile visum fugiant.

§. IX. Oculis gaudet exacte rotundis, summæ agilitatis, nunquam clausis, qui dextre exsiccati curiosorum oculos oblectant, tantæque duritiei, ut fere cultro in partes dissecari nequeant. Noctu æque ac interdiu videt, quod sèpissime in iis demiratus observavi. Cui rei fidem faciet, quod mihi ipsi Upsaliæ per totam hyemem' vipers aliquot in phialis occulas asservanti contigit; nempe quod quædam elapsa noctu, fameque emacerata, quia octo menses sine alimento vitam traxerat, (quod mirum nemini videri debet, quippe non paucas post exantlatam integri, & quod excurrebat, anni inediā, spiritum adhuc ducere deprehendi) murem astu ceperit & deglutierit; quo, mane surgens, ita satiatam vidi, ut locum mutare vix posset.

§. X. Cuto primum detracta, factaque secundum longitudinem incisione, Viscera sequenti ordine disposita inveniuntur. *Cor* supremum seu regium locum obtinet, statim sub trachea in medio locatum; cuius vibrationes etiam ibidem ante dissectionem tactu & visu explorari possunt: singularis est figuræ, pollicis transversi longitudinem, minimique digitus latitudinem habens: est carneæ satis substantiæ, valideque admodum movetur: præ omnibus aliis visceribus, ceu fons sanguinis, maxime rubet. *Pericardio*, sed ratione peculiari est involutum, (inter quod & cor ipsum ne guttulam quidem liquoris contineri visum est, at ex complicitate porulis, nonnihil liquoris exsudatur,) etenim fibrae passim e cordis

6. DISPUTATIO MEDICA

apice, & lateribus enatae, capsulam cordi alligant, laxe tamen; ut spatiū inter cor & pericardium supersit, ipsæque fibræ, ceu lora aut vincula quædam, exacte conspiciuntur. *Auricula* cordi est unica, magna tamen & rubicunda. Hæc quoties sanguinem notabili fibrarum venæ cavæ contractione suppeditatum accepit, toties turgida statim facta, immunitur; pauloque post sese denuo constringens, sanguinem in cordis ventriculum exonerat; inde secutus cordis tumor, & demum contractis fibris ex mucrone versus basin nonnihil adducto, sarcina sanguinis in aortam expulsa. Qui reciprocus motus diu in auricula & corde superstes vigeat. Imo Cor Sanguine privatum, & cum cæteris visceribus corpore exemptum, motu diutius protracto, vita prodit indicia. Quemadmodum autem *Ventriculus* cordis & auricula est simplex, ita etiam *Vena* cor ingrediens & arteria ex eodem egrediens invenitur simplex.

§. XI. *Pulmonum* fabrica oppido elegans, paulo infra cordis confinia exstat, instar retis mirabiliter constructa, lobis omnino carens, colore admodum vivido & rutilo, substantia tenui, utcunque diaphana & rugosa; medio hujus transcurrit *Vena cava* ex superiori hepatis oblongi parte.

§. XII. *Trachea* immediate a pulmonibus ad gulam tendit, supra lingam sita.

§. XIII. Infra cor, in dextro magis latere *Hepar* carneæ substancialiæ, nitidique & satis rubicundi coloris, longitudinis summæ respectu cætrarum partium, at latitudinis exiguae, recumbit; Duobus componitur insignibus lobis, quorum dexter protenditur ad pollicis integrum latitudinem, infra sinistrum; pars jecoris media superior continua est, neque citra dissectionem dividi potest.

§. XIV. *Vesicula biliaria* arctius inde intestinis quam hepati adhaerens pendet, ab omni prope cum hepate commercio sejuncta, nisi quod unus tenellus ex hepate ductus longiusculus, eidem implantatus, bilem affundit viridem.

§. XV. *Oesophagus*, *Ventriculus*, & *intestina* sequenti modo comparata sunt. *Oesophagus* recto ductu ab ore se extendit ad ventriculum, amplum adeo est receptaculum, ut pollicem viri satis corpulenti recipere valeat, ubique ejusdem capacitatis, adeo ut saccum oblongiorem haut inconcinne referre dici possit; Unde haud mirum est, quod totam ranam deglutire possit.

§. XVI. *Ventriculus* ad sacci speciem conformatus, in sinistro latere pendet,

det, duobus instructus validis membranis; processu suo cucullari ad manicæ hippocraticæ, vulgo dictæ, figuram quodammodo accedens. Ejus substantia longe crassior, & compactior videtur quam *Oesophagi*, intus rugosa & muco obducta. Eo autem modo *Oesophagus* inferitur ventriculo, ut dextrum ejus orificium loco multo altiore sit quam sinistrum; longitudo & capacitas *Oesophagi*, ac latitudo introitus ventriculi viperæ indoli admodum consonæ sunt, quæ nil commansum in ventriculum dimittit, sed animalia integra in escam adsumit, modo majora, modo minora; si quando vero longiora occurrant ipsa ventriculi profunditate, reliquum *Oesophago* impactum hæret, quo usque ventriculus extraxerit, ac in universum corpus amandarit succum partium deglutarum, quas continent valuit; ac postmodum illas excipit, quæ in *Oesophago* hæserant. At cum non exiguum temporis spatum requiritur, eo quod ventriculus nequamquam occluditur, neque sufficientem calorem comparare potest ad citam concoctionis perfectionem. Mortua vipera, & ventriculo vacuo, *Pylorus* undique constrictus, tam exquisite clauditur, ut flatui nullus pateat transitus.

§. XVII. *Intestina* sunt ejusdem fere ubique amplitudinis, & constitutionis, præterquam quod circa finem, ubi ampliora sunt, ita ut hæc pars *coli* *Rectique* nomen adsumere queat, desinat circa inferiora ventris, magnum transversam a caudæ apice. Gyrofa omnia sunt, miroque modo flexuosa, tenuia maxime.

§. XVIII. Inter *intestinum* & *ventriculum*, in flexura illa semicirculari, absconditum latet *Lienis* viscus, exiguum quidem, sed suaviter rubicundum, & punctulis quibusdam albicantibus, glandulas designantibus, interstitium.

§. XIX. *Pancreas* *lienii* adjacet carnosa substantia, cuius ductus propter exiguitatem non invenitur.

§. XX. *Renes*, *Ureteres*, & *Vesicam urinariam* nulla inveni.

§. XXI. *Nervi* nullibi in toto corpore conspicui sunt præter in capite, (quamvis non negemus eos ubique inveniri,) scilicet ii, qui odoratui, visui, auditui, & gustui sunt destinati; sunt & alii nervi quamplurimi, ex parte cerebri inferiore orti, cranium perforantes, quos ob subtilitatem prosequi usque ad insertionem difficile est, verum in confectione sceleti ejus, ubique instar tenuissimorum filiorum, hic & illic quidam apparent.

§. XXII. *Arterie* & *Vene* etiam præter eas, quæ ex corde & jecore organum ducunt, armatis oculis conspiciuntur.

§. XXIII.

§. XXIII. *Testiculis* gaudet duobus Vipera mas, oblongis, infra vesiculam felleam sitis, substantia glandulosa, & albo colore. *Penem* habet duplificem, ex duobus corporibus oblongis & fistulosis, juxta se invicem sitis, & in apice in unum corpus coalescentibus, tempore coitus satis conspicuum, ut & in capto isto animali, si fortiter comprimatur; alias n. delitescit. Vipera fæmina duos testiculos, sicuti mas, longiores tamen, & crassiores habet.

§. XXIV. *Uterus* summæ exiguitatis est, ut difficulter inveniatur, nisi tempore gestationis; tunc satis magnus apparet, quia facillime ampliatur & explicatur, ita ut numerum viginti vel triginta viperinorum foetus recipere valeat.

§. XXV. *Ossa* viperæ maris & fæminæ, ejusdem constitutionis, situationis, ac numeri sunt, præterquam quod in fæminis magis coitæ a se invicem dilatatae, & fortiores sunt. *Cranium* obtinet sat durum; & *maxillam* inferiorem ac superiorem. *Costas* numeravi septuaginta plus minusve. Qui curiositatis gratia *Sceleron* confidere velit, vivam viperam in scrinulo, plurimis foraminulis perforato occlusam, nido formicatum mandare potest.

§. XXVI. Leviter sic tacta Anatomia Viperæ, restat, ut aliquid de ejus *Generatione*, *latibulis*, & *Alimentis* dicamus, antequam ad *Venenum* progrediamur.

§. XXVII. Bis in anno coeunt, primo scilicet, mense Aprili; deinde Septembri, alvo foetus quadrimestri aut quinquemestri spatio gestantes; qui perfectionem adepti, ordine prodeunt per uteri emissarium solitum, neque exiguo numero, videlicet ad viginti usque, & triginta, & in exitu secum abstrahunt exiguum membranam, ab umbilico pendentem, nempe secundinam, quam mater paulatim divellit, prout utero elabuntur. Veteres authores qui de vipera scripsere, ita dicunt: Vipera cum libidine agitantur, & per paria coeunt, fæmina collum maris inmittenda genitura comprehendit, & arcte complexa, non prius dimittit quam devoraverit, & mas hoc modo perit; fæmina vero talem luit masculo pernam, quod filii, dum adhuc intra uterum sunt, patrem ulscientes, matricem ambedant, ejusque alvo ambesa, ita partum faciant. Vid. hac de re *Aristotel. Plin. Nicandr. Apulej. &c.* Hæc vero meræ fabulæ sunt, etenim instar cæterorum animalium conjunguntur, coeuntque masculus & fæmina, caudis ad medium usque corpus & amplius, optime convolutis, & semet complectentibus: altera vero superiori corporis parte elevata,

A D I N A U G U R A L I S.

vata, multisque cum ore osculis datis. Inest masculo vero membrum genitale ea in parte, ubi caudas jungere incipiunt, quod intus occultum habet. Fæminæ vero vulva inest ex directo, ut cuique insipienti manifestum evaderet. Talique ex coitu imprægnata redditæ semina, scetus in utero omnimodam perfectionem consequuti, more solito vivi prodeunt. At inter cæteros serpentes oviparae sunt, quæ incubunt, & ovis ut excludantur curant, vel soli exponendo, aut in propriis latibulis, ut in Suecia quam sæpiissime inveni in stercore equino, & fimentis stercorariis, serpentes ovis suis incubentes.

§. XXVIII. Ad *Alimenta* quod attinet earum, vescuntur tum herbis quibusdam, tum animalibus, & quibus assueti solent nutriti, ejusmodi sunt Buprestes, Cantharides, muscæ, Ranæ, Bufones, pulli & ova animalium, mures, lacertæ. Ejusmodi animalia in nidis earum reperi, quæ integra deglutiunt.

§. XXIX. Conventus suos brumali tempore, sub radicibus montium, & arborum habent, ubi in cavernis sese invicem complicate condunt, & per hyemem, ob frigoris vim, perinde ac si mortuæ essent, latitare solent: atque tum viperas quoque videas, manibus tractentur, deferanturque, haud quaquam mordere. Nam per æstatem, tum hoc animal, tum serpentes reliqui omnes, præsertim diebus canicularibus, quum vehementer æstuat, furorem præ se ferre videntur, adeo ut nullatenus, ne exiguo quidem momento quiescere possint: Tempus earum conveniens mea in patria est Mens. Septemb. in autumno exeundie suis latibulis est Mars, & April. Vere.

C A P U T. II.

De Veneno Vipereo, ejusque natura.

§. I. **D**E *Veneno* viperarum apud Autores variæ sunt opiniones; Quidam dicunt id esse calidum, quidam frigidum, quia se in latebras hyemali tempore recipiunt &c. Variasque sedes ipsi assignavere, ut felli, hepæ, vesicalis supra dentes sitis. Præterea tres venenorum ordines effecerunt: primum eorum, quæ statim interimunt: secundum eorum, quæ non ita statim, sed brevi post enecant. Tertium eorum,

eorum, quæ lenta Tabe ægrum conficiunt: atque inter hujus ordinis species reposuerunt viperam, quasi illius venenum sero interimat. Sed licet non inficiar eam, in aliquibus regionibus, ac certis in circumstantiis viperarum morsum non adeo lethalem esse, ut extemplo mortem inferat, tamen quo minus hoc absolute afferam, obstat experientia, quæ Venenum viperinum, si ullum, præsentissimum esse abunde comprobatur, imprimis si morsus factus sit a vipera jejuna, in corpore jejuno, si tempore æstatis, radiante Sirio, & a vipera valde irata.

¶ II. Multæ leguntur apud Autores historiæ, quibus omnibus experimenta reclamant; insigne autem præjudicium est, quo laborant docti ac indocti, venenum nempe in ipsa substantia hærere carnea: Mortua enim vipera, nullum venenum corpori inest, quod non solum ipse expertus sum, sed etiam vesiculam felleam, & carnem ejus præparatam, pro sudorifero, aliis bono cum successu præbui, caput cum dentibus pani involutum canibus & aliis animalibus devorandum dedi, sine ulla noxa. Vipera vero vivens non minus morsu lethifera est, ac alia animalia, quæ vehementi ira percita, in rabiem ac furorem aguntur: fidem faciunt *Canes*, *Lupi*, *Vulpes*, *Glires*, quinimo *Homines* ipsi, quorum morsus secundum post viperæ gradum obtinent. Porro audacter dico, nullum omnino venenum in ulla corporis viperini parte delitescere, imo nec in ipsis majoribus dentibus caninis, quippe quibus, invita ac reluctante vipera, cuivis animali inflictis, nec volam nec vestigium Toxici, aut ulius symptomatis venenum olentis, reperire licet. Non magis ergo lethiferum est istud vulnus, quam quocunque aliud; Quod ipsum observasse, nimium quantum, in rimanda & explicanda veneni viperini naturajuvabit; Etenim exinde liquet.

I. Morsum viperæ in se, vel absolute spectatum, nec veneniferum, nec lethiferum esse, sed cum quoque simplici vulnera pari ambulare passu, ac non nisi ratione sanandi, cure, que difficilior in illo obtinet, ab hoc differre, quod tamen soli structura vulneris, formam dentis tenuissimi, atque porrecti, & si accuratiora nos non fallant perspicilla, excavati, recepit, acceptum ferendum est.

II. Eundem venenatum demum esse, si ipera non coacta, sed sponte sua, in morsum ruat.

III. Cum non nisi ira incitata, ex proprio motu, atque instinctu mordet viperæ, vel venenum exhaleret, ipfissimam illam iram esse causam decantat illius veneni viperini, bruis aque ac hominibus adeo infestis: posita enim ira,

ira, ponitur venenum in parte commorsa, & nisi venenis bonis, vel antidotis arceatur, ipsa mors; Absente autem vel sublata ea, abest quoque Toxicum omne, indicio certo, (nullum enim aliud Kpsipov causalitatis datur, vel dari potest) hanc veram & unicam esse causam.

III. Evicto hoc, reliquum est, ut modum quo iratior viperæ venenum suo morsu inspiret, quantum isthoc ingenio nostro datum est, enodemus, siquidem id ipsis dictis non tantum magnum pondus addet, sed etiam certa notitia naturæ abditæ Toxici viperini nos imbuet.

§. IV. Omnis itaque cum disputatio de ira erit, quid isthac sit, exquisito ac definito opus est; Evidem enim, qua a ratione (si non tam Ciceroni, quam rationis oraculo credimus) suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione profici, ut intelligatur, quid sit, de qua disputetur. Cic. de Offic. lib. 1. Zeno Citticus, Stoicorum Coryphaeus, iram, ut Autor est Diogenes, ita definivit: Ὁργὴ ἐπιθυμία ληψίας τοῦ σούσιου ζεντελέως ὡς μοιχεύως; quod Cicero. l. 4. Tusc. sic vertit; Ira est libido puniendi ejus, qui latifrons videatur injuria. Cum eo sentit Aristot. lib. 2. Rheth. Ira est cupiditas cum dolore apparentis ultionis conjuncta propter apparentem despicientiam, in se vel suorum quempiam. Ab utroque non multum recedit Plato.

V. Citatis quo minus addam Cartesii finitionem iræ, facit, quod Philosophus ille cogitandi vim a corpore abstrahens, hoc sub meræ extensis vel bruta inertisque molis forma, illam sub meræ conscientiæ notione concipere annititur, adeoque nullum affectibus locum in brutis relinquere potuit, nec ullum reliquit, sed bruta in automata, feras in machinas mere mechanicas, & arte summi opificis pictas, fictas, dolatas, ccelatas, & nescio quas ligneas Veneri, Dædali, vel Archytæ Tarentini Philosophi columbas, aut Caroli. V. passerculos, arte Jannelli Turrianî, illius temporis Archimedis, fabrefactos, volantes revolantesque, transformat. L. A. Seneca nullos etiam affectus, adeoque nec ipsam iram, de qua hic sermo, in seris agnoscit; sic enim ille deputat: Sed dicendum est feras ira carere, & omnia præter hominem. Nam cum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi ubi rationi locus est. Impetus habent ferae, ratiem, feritatem, incursum: iram quidem non magis quam luxuriam. Et paulo post. Irasci quidem non magis sciunt, quam ignoroscere. Muta animalia humanis affectibus carent. Verum enim vero eodem spiritu addit & hoc: Habet autem similes illis quosdam impulsus. Hoc enim est Stoicorum placitum: Feras quidem carere affectibus humanis propriis dictis, agitari au-

tem impulsu ac impetu horum simillimo. Huc faciunt ea, quæ in sequidem ille Seneca docte edidserit: *Tota illorum (de animalibus loquitur) ut extra, ita intra, forma humana dissimilis est: Regium & principale aliter dictum (rò ιντρονός, ut notum, Græci, Latini animam vocant.) ne vox est quidem, sed non explanabilis, & perturbata, & verborum inefficax; ut lingua, sed devincta, nec in motus varios soluta: ita ipsum principale parum jubile, parum exactum. Capit ergo visus, speciesque rerum, quibus ad impetus evocetur, sed turbidas & confusas. Ex eo procursum illarum tumultusque vehementes sunt: metus autem solicitudinisque, & tristitia, & ira non sunt, sed his quædam similia. Et quid multis? leones fremunt, inflantur iratis (sunt verba Senec. in capite antecedente) colla serpentibus, rabidarum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo, simul ira invaserit, nova feritatis accessio.* Vid. lib. de Ira, C. 1. 2. 3. & ulterius.

§. VI. Quid illis finitionibus sibi illi velint Philosophi, non ita prorsus clarum est, sed mentem suam ita porro explicat Seneca ibid. C. 4. *Quemadmodum incipiunt affectus, aut crescent aut efferantur, est primus motus non voluntarius quasi preparatio affectus, & quædam commutatio. Alter cum voluntate non consumaci, tanquam oporteat me vindicari, cum laesus sim: aut oporteat hunc penas dare, cum scelus fecerit: tertius motus est jam impotens, qui non, si oportet, ulcisci vult: sed unique qui rationem evicit.* Haut multum dissentire videtur Aristotel. lib. 1. de anima, in quo operose ac acerrime contra Democritum ac Timæum Platonicum disputat, quod anima non sit motus, se moveat, vel moveatur, at deinde assertit, anima non per accidens moveri, & non tantum se ipsam, sed & corpus (ratione cuius movet) movere posse. Similiter lib. 2. de anima eandem esse corpus negat ac pernegat, & tamen aliquid corporis esse concedit. Σωμα μερον ει εγι, σωμαλον δι τι, Corpus quidem non est, sed aliquid corporis.

§. VII. Summorum istorum Philosophorum principia, scita atque decreta, ad amissim examinare nunc non vacat; ut vero res in pauca conferatur, ita quidem in culcari possit videtur distinctius.

1. *Animalia omnia, in quantum sunt diverse animata, in tantum eorum affectus seu commotiones a se invicem differre.*

2. *Affectus in iisdem non sine mutu oboriri posse, cumque pro vehementia affectus, vel concitatiorem vel remissiorem esse.*

3. *Iram saltem viperarum esse brevem, quam Seneca cum multis afferit Sapientibus, esse insaniam, vel, ut in proverbio est, brevem furorem.*

Hanc

Hanc viperæ rabiem describit Virg. in culice :

— naturæ comparat arma,
Ardet mente, furi stridoribus, intonat ore :
Fexibus eversis torquetur corporis orbis,
Manant sanguinea per fractus undique guttae,
Spiritibus rumpit fauces.

4. Morsum viperinum non nisi ratione configurationis vulneris, quod dentibus suis excavatis infligit viperæ, aut si omnino velis, gradu a cuiuscunque valide differre bellue morsu.

5. Venenum vel potius abditam illam naturæ vim, que veneni nomine ve-
nit, non lymphæ, non salive, quibus viperarum bument ora, sed spiritibus
irarum colla inflantibus, vel quibus, Autore Virgilio, fauces rumpunt, in-
harere, siquidem illam ex non lacestis exprimere, ac eadem quamcunque nudi
corporis partem oblinere ac sine noxa perficere licet, quod ipsum experimen-
tis sape repetitis deprehendi.

6. Horum spiritum non paucos in cavernis dentium, tanquam infundi-
bulo colligi, collectos pro velocissimo quo feruntur, (loquor de viperis iratis)
motu, dentibus parti demorsæ impæctis, qua data via ac porta, in massam
ructare sanguinem, pauloque momento per eandem diffusos, ejusdem solvere
corpo et piax, peregrinumque inducere fermentum, adeoque febrem, siim,
vigilias, reliquaque Symptomata (quibus enumerandis & curandis ter-
tiam destinavimus hujus disputationis partem,) excitare; tandemque viri-
bus cundo auctis, ni Pharmaco ejiciantur, ac eorum sistatur impetus, mox
clius, mortardius, pro varietate temporis, agrique ante morsum valetudi-
nis, vel firma vel adflecte, inclinatæ aut laborantis, triste dirumque cunctis
mortalibus nomen, Lethum inferre.

C A P U T III.

De Morsu Viperae.

§. I. Inter antiquos magna fuit quæstio, quinam morsus fuit pericu-
losior, fæminæ an maris. Quidam statuere, fæminæ pejorem
esse, ut Ægineta, dum dicit: *videtur minore cum periculo li-
berari, quos vipera mas, quam quos fæmina momordit.* Idem confirmat Ni-
cander, canens.

Porro ex viperco, quod noris, germine pejor

B 3

Famina,

DISPUTATIO MEDICA

*Femina, que veluti majori accenditur ira,
Sic vehementer magis fert noxia vulnera morsu;
Et plus gliscenti se canda & corpore volvit,
Unde citior hac istos mors occupat artus.*

E contra vero Avicenna lib. 4. ait: *Deteriores viperarum, & Draconum sunt de iis, qui sunt masculi: Femina vero sunt incoluiores.* Litem hanc dirimere videtur Mercurialis lib. 2. de morb. venen. sic scribens. *Utrum femina aut mas venenum lethalius inferat, controversum invenio, quandoquidem alii existimant a femina venenum exitialius effundi, alii contra putarunt, marem venenosiorem femina.* Sed haec lis conciliari potest, quia aliquo pacto venenum femina lethalius est, aliquo pacto maris: *femina, quia quatuor facit vulnera, majorem veneni molem pluribus morsibus effundere videtur: mas autem, et si duo tantum inferat, tamen vis ipsorum comparata moli venenifemina, multo acerbior & efficacior est, ita ut & qui dixerunt marem, & feminam, lethalius venenum inferre, utrique possint veritatem dixisse.* Sed certe nulla differentia horum morsuum est; nullum etenim intercedit discrimen inter feminæ & maris vel dentes vel venenum, quia eadem symptomata excitant.

§. II. Nullis nunc sine ambagibus symptomata post morsum apparentia enumerare libet, qualia sunt: Tumores juxta locum affectum subruber lividique, somni perturbati, continua vigilia, insolita anxietas & inquietudo, febris, sitis, furor, loci affecti acutissimus dolor, inspiratio gravis & æstuans, torvus faciei aspectus, vertigo, Lipothymia, nausea, vomitus. Non tamen haec omnia in uno eodemque subjecto observare licet, sed diversimode; pro varietate etenim corporum & subjectorum, diversa occurrent symptomata.

§. III. Pars affecta potissimum est pars illa, qua perficiuntur functiones animales, ut ex insomniis, anxietate, vigiliis, vertigine &c. patet; deinde etiam massa sanguinea & humores per partes circulantes, ut ex tinctis urinis, alvo adstricta, siti, & febri manifestum est.

§. IV. Sanguis hic nimio fermento jam præditus, & continuo magis magisque fermentatus, sicque præter naturam incensus, & per totum corpus nimio impetu distributus, motum spirituum animalium inducit inordinatum, & perturbatissimum. Hinc inflammations & obstructions, sicque *Discolores Tumores*.

§. V. Quod furorem attinet, in eo esse spirituum motum perturbatissimum, eosque indifferenter in quoscunque poros ruere, manifestum est,

est, hacque ratione spirituum celerrime motorum æquilibrium folli necesse est. Unde mens turbatur, quippe nutus sensorii ex se tunc est impotens, tumque cogitans & recogitans de re ingrata, sibi redditur ingratissima; adjuvante denique muscularum quorundam convulsione & nimia sanguinis fermentatione, hinc inde perturbate & impetuose discurrit.

§. VI. Hic inordinatus & impetuosus spirituum motus causa delirii est, & licet non tam vehemens hic sit quam in furore, naturalem tamen placidamque fluctuationem superat; hinc est quod omni furori delirium, non vero omni delirio furor adesse possit.

§. VII. Spiritus hi, hac ratione vehementius moti, horrendas etiam faciunt *convulsiones*; quod satis apparet, si quis attente consideret, motus hos convulsivos circa partes interiores; sublato enim regimine suo, spiritus eas in partes influunt, in quas influere non debent, unde illæ quo magis sunt inflatæ, eo magis contrahuntur, ac per consequens magis quoque convelluntur.

§. VIII. Accedimus ad *FEBREM*, quæ ordinarie adest, cujus auctorem esse putamus fermentum illud peregrinum, quod tali in casu sanguinem ingreditur. Cæterorum symptomatum, tum sèpius, tum rarius occurrentium causas, brevitati operam dantes, studio enarrare supersedemus cum ex aliis tum simul conjunctis symptomatis dijudicari, & vel ab eadem cum illorum causa, vel a diversa haud ita difficulter deduci possint.

§. IX. *Signa* ipsius affectus per se sunt manifesta & oculis obvia, tantummodo opus est, ut cognoscamus, an vascula majora aliqua, ut *arterie*, *venæ nervi* &c. læsa sint, quod partim locus affectus eorum, partim doles, & discolores tumores indicabunt.

§. X. *Prognosis*. Morbus hic satis periculosus est, rara enim exempla sunt, si ad *convulsiones*, *vomitus*, *furorem* &c. ventum sit, curationis & remediorum ope illum esse superatum; si vero in initio Medicus advoctur, qui convenientia adhibere sciat medicamenta, non tanti periculi est.

§. XI Tandem sic delabimur ad curationem. In mortu hujs animalis ad duo præcipue est attendendum: primo ut inflammatio partis læse tollatur; Deinde, ut massæ sanguineæ, vel omnium totius corporis humorum *updæc* corrigatur.

§. XXII. Bona vero diæta ægro sit quotidiana vivendi normula, juxta quam vivat, observando res sex nonnaturales, videlicet 1. Aerem temperatum 2. cibum boni succi, non salsum, non acidum, & potum ratione quantitatis & qualitatis, 3. somnum vigiliis justis distinctum, 4. Quietem portiua

tius quam motum (quamvis affectus motionem per se satis vetet) 5. Abstinentiam omnium affectuum, preprimis Iræ & latitiae, & demum 6. Alvum ad ejiciendum apertam.

§. XIII. Ut porro ordine ad reliqua etiam progrediar, accessum nunc facio 1. ad Chirurgiam, visurus an auxilio Chirurgi opus habeamus. 2. ad Pharmaciam, quænam scilicet salutaria remedia illa nobis suppeditare queat.

XIV. *Vene sectionem* hic plane inutilem censemus varias ob rationes, nisi forte corpus fuerit valde plethoricum, & jam in vehementem febrim incidat patiens; *Scarificationes* vero & *cucurbitula sacrificatae* vel loco earum *hirudines* hic magni momenti sunt, & applicantur circa locum affectum; *ligatura* supra partem commorsam institutæ, ac *spicularum ab igne candentium* prope partem afflictam applicationes, item *V. pera recens mactata, vulneri imposita, (loco ejus vivus Bufo,)* mira præstant.

§. XV. *Alteran'ia*, licet rarius, aliquando tamen usui esse possunt. Sed potissimum sudoriferis satis potentibus pellendi fudores, quæ mollia non solum, sed & solida penetrant, suntque talia, quæ conitant ex *salibus & mineralibus*. Hujusmodi si pro basi addatur sal *viperin.* multum præstabitis.

§. XVI. *Specifica* tali in casu sunt *sal viperar. Orvitean. Theriac. pulv. viper: rad: contrayeru. Anglic. &c.* Hisce subjungam compositionem unam vel alteram, ut:

R. Aqu. Theriacal. 3ij.

Card. Bened. 3ii.

Ocul. cancer. 3i.

Sal. Volat. viperar. 3ij.

Spirit. C. C. gt. XXX.

M. f. Mixt.

*S*mantur ex hac mixtura singulis horis cochlearia tria in initio, postea duo. *V*er si æger abhorreat a mixturis, & malit pulverem sumere, in hanc formam præscribatur.

R. Antimon. Diaphoret. aue

Rezoaric. cuiusvis gr. xij.

Ocul. caner. 3i.

Sal. volat. viperin. gr. xv.

M. f. pulv.

vel R. sal. volat. viperin. gr. xv.

Orvietan.

I N A U G U R A L I S.

Orvietan. viperin. 3j.

M. f. bol.

In defectu horum Medicamentorum sequens ab Authoribus valde laudatur.

R. fol. Rut. Verben.

Salv. min. plantag.

Absinth. vulgar.

Polypod. Menth.

Artemis. Betonic.

Hypericon. Centaur. ana. q. pl.

M. f. pulv. subtilissim. & exhibetur cum saccharo. dosis

a 3L--3j. ad 3ij.

C A P U T. IV.

De Medicamentis ex Vipera.

Sal. Viper.

R. viper. vivent. cum toto q. pl. quibus in minutissimas partes divisis impletatur Retorta vitrea vel terrea optime lutata, & furno Reverberii imposita, admoto retortæ rostro Recipiente satis amplio; distilletur gradatim l. a. donec til amplius e Retorta prodeat, ac vapores omnes Recipiente conclusi, in salabeant, aut in liquorem convertantur; tunc vero a distillando desistendum, deinde, sponte refrigeratis vasis, decrustatoque Recipiente, invenitur ad latera Recipientis sal adhærescens; quod caute secernatur & usui servetur. Alter liquor vel *sal volat.* in fundo Recipientis rectificatur sequenti modo :

R. sal. volat. vel liquor. denominat. 3vj.

pulv. Cran. human. lib. ij.

Quæ inter se bene commisceantur, & conjiciantur in matracium longo collo præditum; Huic alembicus cæcus applicetur, & secundum artem distillationi subjiciatur: Hoc facto sal statim in sublime feretur, alembico adhæsurum, ubi, absoluta sublimatione, instar Crystallorum appetit candidissimum, quod educatur & usui servetur.

Si ullum medicamentum habemus quod nomen Panaceæ mereatur, est

DISPUTATIO MEDICA

sal hoc volatile viperarum, quod tuto in omnibus internis non solummodo affectibus adhiberi potest, verum etiam in externis. Vis ejus specifica qua est præditum, est contra venenum a morsu animalium, ut Viperæ, Canis rabidi, Gliris, lupi, ursi, Sciuri &c. Eximum etiam remedium est adversus pestem, morbillos, variolas, cunctos morbos epidemicos, febresque malignas; præstantius nullum habemus in Febribus intermittentibus, scorbuto, omnis generis scabie, morbis soporosis, palpitatione cordis, Asthma, pleuritide, Tussi recenti & inveterata, aliisque pectoris affectibus. Jecoris, Lienis & viscerum obstrunctiones referat. Externe in lavamentis contra podagram, chiragram, & omnis generis via cutis, singularis est efficaciam.

Dosis a gr. iv--vi-- $\frac{1}{2}$ -- $\frac{1}{4}$. in mixturis, pulveribus, bolis & Ele-

ctuar. &c.

Pulu. Viperin.

Viperæ vivæ accipientur q. pl. Mense Jun. quibus capita amputentur, & cutis exuatur, interranea omnia quoque eximantur, excepto corde & Hepate: deinde probe in umbra exsiccentur, & pulverisentur cum floribus Chamomel. q. pl. in mortario; hoc facto pulvis per cribrum sericeum traiciatur & servetur usui.

Hic pulvis omne scabiei genus delet, Impetigines quasvis, Erysipela, sed præsertim Lepram curat, ideoque Leprosi eo uti possunt omnibus suis in Cibis. Phthisicis & Tabidis expedit.

Dosis a $\frac{1}{2}$. ad $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. cum juscule, vino, Cerevisia vel quopiam li-

quore aromatico.

Orvietanum.

¶. pulv. viperin. $\frac{1}{2}$ v.

Op. cum aqua comm. preparati. $\frac{1}{2}$.

Rad. Contraev. Viperin. Virginian.

Angel. Gentian. Calam. Aromat.

Imperator. Galang. ana. $\frac{1}{2}$ v.

Fol. salv. Rorismarin. Card. bened. ana. $\frac{1}{2}$ v.

Flor. Chamomel. $\frac{1}{2}$ v.

Sem. fenicul. Cumia. ana. $\frac{1}{2}$ v.

Baccar. Laur.

Cina-

Cinamom. Nuc. Moschat. ana. 3ij.

Sal. volat. Viperar. 3j.

Mell. optim. despumat. q.s. ad consistentiam.

M. l. a.

Orvietanum hoc miræ est efficacæ adversus cuncta venena, & præcipue iætus venenatorum animalium, item Pestem, Variolas, Morbillos, omnesque morbos epidemicos: admodum quoque conducit in affectibus frigidis Cerebri & ventriculi, & colicis doloribus a flatibus excitatis. Dos. a 3j. ad 3j. & 3ij.

Trochisci Viperin.

R. pulv. Viperin. lib. 5.

rad. Ire. florent. 3j.

sacchar. Cand. 3j.

Mosch. orientat. gr. jv.

Cum mucagine Gummi Arabici in aliqua aqua distillata extracta fiat massa solidior, & ex illa conficiuntur Trochisci vel Baculi, qui obliniantur oleo viperin. & in umbra exsiccantur.

Oleum. Viperin.

R. Axung. Viperin. 3jv.

Oleor. Junip. Cer. flav. ana. 3ijj.

Aren. cibrat. puriss. lib. ijfl.

Hæcce rite commixta leni igne, induntur retortæ vitreæ, balneo arenæ committendæ, intra capsulam correspondentem, adeo ut Retortam omnino ambiat & cooperiat arena, solo exerto collo; Destillatio hæc erit suscipienda igne per gradus adhibito, initio leni, tandem sat intenso, immo eodem in tenore producto, donec nil amplius ex Retorta prodeat; postmodum sponte frigefacta arena, decrustatoque Recipiente, occurret oleum limpidissimum & penetrantissimum; quod usurpari potest interne & externe. Interne in colica, Nephriticis doloribus, stranguria, obstructione urinæ, item Ulceribus internis. Externe applicatum, tantum subsidii præstabit solum, quantum vix omnia alia olea & unguenta conjunctim: in Paralyssi, Ophtalmia, Odontalgia, Scirrhosis & Oedematosis tumoribus, fissuris, & rimis, summæ utilitatis est.

Spirit. Viperin.

R. Viperar. vivent. in minutissimas partes dissector. No. XII.

Nitr. Virio ana. 3jfl.

Hæcce commixta simul indantur Cucurbitæ vitreæ, affundantur spiritus

ritus Juniper. lib. iij. Cucurbitæ Alembicus imponatur, luto accurate obducatur, imponatur Cucurbita Balneo arenæ, adaptetur Recipiens rostro Alembici; digerantur igne lenissimo per h. viginti quatuor, demum destilletur, eadem via incedendo, qua elicuntur spiritus quorumvis Aromatum.

Est Medicamentum efficacissimum in scorbuto, Arthritide vaga, hysterica passione, Apoplexia, cruditate Ventriculi. Externe in paralyssi, tumoribus podagricis, maculis & scabie variis generis, item in Ophtalmia cum aqua Euphrag. dilutum.

Elixirium Vipereum.

R. Rad. Contrayer.

Fol. Macis. ana. 3ij.

Croc. oriental. 3vj.

Myrrh. selectissim. 3j.

Alo. cum aqua coi. pp. 3ij.

Sal. volat. viper. 3iv.

Spirit. Viper. vin. ana. 3xii.

Alcahest. Glauber. 3j.

Cuncta secundum artem componeantur in Phiala bene clausa, & per 14 dies in fimo equino calenti desodiatur, postea liquor supernatans a fæcibus separetur & usui servetur. Dosis a 3fl. 3fl. cum vino vel alio idoneo liquore.

Elixirium hoc in ventriculo humoribus tenacibus & viscidis obpresso, nausea, vomitu, fastidio ciborum, ructu, scorbuto, chlorosi, & aliis morbis, sumnum est remedium.

Sal volatile vipereum compositum.

R. Oleor. stillat. Mac. Carioph. Aurant. ana. 3i.

Viperin. rectificat. 3ij.

Sal. volat. viperin. 3ij.

Hecce in mortario bene mixta cum Ciner. clavellat. lib. fl.

trade Phiale & superaffunde

Aque. vit. Mathiol.

Spirit. sal. armoniac. ana. 3vj.

Viperin. 3ij.

Hoc

Hoc facto lagena optime servetur & agitetur, postea sal volatile supernans a Phlegmate per decantationem segregetur & usui adhibetur. Dos. agutt. x. ad 3ij - 3ij. cum appropriato liquore.

Optimum est remedium in febribus intermittentibus & aliis morbis, ubi acidum peccat; partes principales corroborat.

Collyrium albugines delens.

R. fragor. bene matur. 3vj.

Stercor. viperin. præp. 3v.

Sal. fix. viper. 3j.

Fell. viperæ. recent. No. vj.

Hæc erite permixta cum s. q. aqua. fænicul: & Euphras. in lagena vitrea diligenter obturata & excepta, soli æstivo per aliquot dies exponantur, & per vices agitentur, vel igni arenæ per idem tempus committantur; hoc facto, per decantationem liquor purus effusus pro collyrio optimo servetur, cui addendus est spiritus Viperin. ad aliquot drachmas.

Ceratum Viperin.

R. Emplastr. Dia. Sul. Roland. 3ij.

lap. Calaminar. præparat. 3j.

Squammar. viperar. præparat. 3ij.

Oleum Viperin. 3ij.ß.

M. f. l. a. C.

Felici cum successu Ceratum hoc usurpari potest in inflammationibus, ulceribus, & vulneribus, tam recentioribus quam vetustioribus, Scirris, ædemate, obstructionibus Hepatis ac Lienis, item in pleuritide parti dolenti applicatum; inflammations colli uterini sanat pessarii forma illuc immissum; podagrī auxilium fert mirifice.

*Remedium ex viperæ expertissimum, ad desve:
faciendum præfertim mulierculas ab ebrietate.*

Immittatur viperæ in lagenam, ejus generis vino, quo se inebriare solet mulier, repletam, eaque post dies aliquot per se extincta, segregetur clarum a spissō, mulierique insciæ exhibeatur bibendum, donec inebrie-

rur. Ex isto tempore tantam istius vini percipiet nauseam, ut inde plus modico bibere facile dediscat.

De *stercore* viperæ observatum est, illud exsiccatum, drachmæque pondere vino albo infusum, demum percolatum, ac jejuno ventriculo mane exhibitum, per hebdomadam unam vel alteram, imo ulterius si necessitas urgeat, remedium esse, vi specifica Epilepsiam & vertigines abolens.

Pellis Erysipelati applicata externe, expertissimum est remedicum.

Fel in vino vel alio liquore exhaustum, in desperato casu, vermes necat.

Caro recens & viva in desperata Ophthalmia applicata optimum est remedium.

Explicatio figurarum, quæ præsentem illustrant materiam.

A A. Viperæ binæ, mas & fæmina, simul copulatæ tempore coitus, e quarum forma corporis externa nullum plane discrimen insigne inter illas observari potest. Ubi etiam notandum, quod in extremitate vel amplexu caudarum, delitescat penis maris in vulvam fæminæ immensus.

B. B. Viperam designat fæminam, fætus suos excludentem, infimam corporis partem prodentem, ubi præprimis conspicuæ sunt infimæ squamae, quibus ad reptatum utitur. Ubi quoque omnia in suo situ naturali videre est, quoad partium & magnitudinem & posituram.

C. C. Ova nonnulla in situ suo & magnitudine legitima naturali.

D. D. Duo viperini fætus, in actu partus constituti, suas secundas secum trahentes.

E. Positura fætus ovo involuti.

F. Cranium viperæ integrum.

G. Maxilla superior ossiculo cuidam posteriori in parte cranii coarticulata, quod altero extremitate coarticulatur radici unius majoris dentis canini cum suo magno vasculo salivali integro, in quo continetur famosissimus ille humor flavus.

H. Maxilla inferior ex tribus constans ossibus.


I. Dentes varii majores canini & adstantes subsidiarii.

K. Cor in pericardio reconditum cum vasculis majoribus ex eo produntibus, & congerie vesicularum pulmonarium.

L. Glandulae salivales conglomeratae, una cum vasis propriis lymphaticis, quæ hic describuntur naturalibus paulo majora, quo eo melius innotescant.

A D





ADDITAMENTA.

I.

Medicina assimilari merito potest Triangulo, cuius basis est Anatomia, latera Chirurgia & Pharmacia, & area Praxis.

II.

Venarum delectus in quibusdam morbis est saluberrimus.

III.

Vene sectio a nonnullis damnatur in pleuritide, admodum tamen necessaria est, si Phtis in vel Empyema prævenire velimus; Ejus vicarie sunt birudines.

IV.

Penis erectio a spiritibus animalibus dependet.

V.

Semen a sale volatili sanguinis & spiritibus animalibus conficitur.

VI.

Menstruorum fluxus prægnanti superveniens, non semper fætum male habere indicat.

VII.

Virgines & viduæ juvenes furore uterino vel suppressione mensium a visciditate laborantes, non melius quam copula maritali curantur.

VIII.

Idem sentiendum est de febri alba, qua virgines frequenter laborant, cuius causa quam maxime est nimium veneris desiderium.

IX.

Panacea & universale purgans non dantur.

X.

Menstruum universale non datum est, nec dari potest.

F I N I S.

Ad Doctum & Expertum

Dn. CANDIDATUM

JOHANNEM
LINDELUM.



Um Pythona trucem Phoebus ne-
cuisset Apollo,
Cultus insueti rettulit inde de-
cus.

Hoc quoque Patre satus Tu,
LINDEL, ut abdita scires,
Monstrum secreta Vipereum arte necas.
Ergo novi generis decus hinc & Tune referres?
VIPERA & ex LAURU texta corolla Tibi est.

M A G N U S R Ö N N O W
ex debito amicitiae.

AMICISSIMO SUO LINDELIO,
Medico & Mathematico præstantissimo

B Ede ab laKatKra? de bettu aznim moriFadti ;
JOardKa HANbet, LINriK DEurd LIUSradti.

H.p. s. in Memor. reliq.
KATRA HIERON DE BITZCI.
M.D.Bawit. Persa.